

AUCTARIUM.

CONCIO I.

DULCIS HOSPES ANIMÆ SPIRITUS SANCTUS APUD
QUOS HOSPITETUR.

I. Apud pauperes spiritu. — II. Apud contritum spiritu. — III. Apud humiles. — IV. Apud quietos et paucifcos. — V. Apud trementem sermones Dei.

THEMA.

Qui facit veritatem, venit ad lucem. Joan. III.

Inter alios honorificentissimos titulos, quibus condecoratur ab Ecclesia Spiritus sanctus in hymno missæ hodiernæ, est non infimus, quo vocatur *dulcis hospes animæ*. Apposite ad id, quod habetur in hodierno evangelio, et applicatur Spiritui sancto dictum Christi Domini: *Lux venit in mundum*. Est enim et lux, cum mane perfundit aerem, et implet domos nostras, dulcis et gratissimus hospes hominum. Verum uti lux non ad omnes penetrat (neque enim cæcos, neque eos qui claudunt oculos, aut fenestrarum valvas, aut qui subterraneas subeunt specus, illuminat) ita et Spiritus sanctus non divertit ad omnes homines. Quemadmodum et columba a Noe ex arca emissa, non sedit in turbulentis fluctibus, non in cadaveribus, non in terra lutosa, sed in olea solummodo: ita et Spiritus sanctus non accipit suum hospitium in corde iracundo, neque in avaro, neque in obsceno; sed in pacifico, liberali et casto, et hujusmodi virtutibus aliis instructo. Quoniam igitur minime dubito paratos esse vestros animos ad accipiendum hunc talem hospitem, videamus qualia hospitia potissimum sibi deligat.

Id expressit Deus, Isa. LXVI. vers. II. dicens: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum et contritum spiritu*, (Septuaginta vertunt, *nisi ad humilem et quietum*) et *trementem sermones meos*? Quæ verba S. August. in Ps. CIII. concione II. et S. Bernardus, serm. III. super *Missus est*, ita referunt: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos*? Quare si jungamus septuaginta interpretum versionem cum vulgata nostra, reperiemus quinque hospitia, quæ potissimum exoptat, sibi que deligit Spiritus sanctus.

I. Primum, est pauperulus; non qui necessitate talis est, sed qui voluntate, et pauper spiritu contemptor divitiarum. Talis enim dum cor suum evacuat a mundanis cupiditatibus, gratum et idoneum Spiritui s. præparat habitaculum. Hac de causa per afflatum dedisse Chris-

tum apostolis Spiritum s. sentit D. August. I. II. contra epist. Parm. ex prophetia Isaïæ, c. XLII. dicentis: «Qui dat flatum populo, qui super terram et spiritum calcantibus eam.» Ita enim scribit: «Nonne flatum Spiritum sanctum in resurrectione, et dixit: Accipite Spiritum sanctum. Id autem, quod propheta dixerat: Qui dat flatum populo, qui est super terram, tunc evidentissime factum est, quando repleti sunt omnes Spiritu s. Qui et datus est, et datur eis, qui calcant terram, id est, contemnunt eam.» Ita ille. Non possunt simul stare spiritus proprius et Spiritus Dei. Hinc enim a sponsa dictum vult S. Ambr. in Cant. IV. *Surge aquilo, et veni auster*. Aquilo ventus septentrionalis, frigidus et austerus est: auster meridionalis, calidus et placidus. Unde Ambrosius per aquilonem intelligit spiritum diabolicum, per austrum vero divinum: *Ille ventus*, inquit in Ps. I. (auster scilicet) *aspirat, si Boreas ille gravis ventus flare desierit*. Præclare hoc B. Jordanus ordinis S. Dominici secundus generalis magister, suis insinuavit, cum in die pentecostes capitulum ingressus, breviculam ad fratres hanc exhortationem habuit, sed solidam et pondere plenam: «Hæc hebdomada, patres, crebro dicemus: Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Non ignoratis, quod si vas oppleri aliqua recenti re debeat, oportet id evacuatam reddi, quo antea erat oppletum. Sancti igitur apostoli repleti sunt a Spiritu sancto, quia evacuati erant a spiritu suo. Et hoc etiam in psalmo cantamus: Auferes spiritum eorum et deficient, a se scilicet, ut proficiant in te: et in pulverem suum revertentur, et sic emitte Spiritum tuum, et creabuntur, etc. quasi diceret David: Si tua gratia voluntatem propriam, et singularem ac privatam a se evacua-verint amorem, tuo replebuntur Sancto Spiritu.» Ita in ejus vita Leander Albertus, apud Surium, 43. april.

II. *Contritus spiritu*, h. e. miser, afflictus, angustatus, et in miseria sua suspirans ad Deum. Talis enim sua desolatione, suisque suspiriis trahit ad se Spiritum s. uti apostoli et primi Christiani et una domo conclusi, continuo orantes, et ad promissum sibi Spiritum suspirantes, traxerunt eum ad se; qui proinde cum vento vehementi super eos venit, quasi dulce refrigerium omnium miserorum et afflictorum, qui nulla alia solatia a mundo sperare possunt.

qualia habent ii, qui mundana felicitate valla sunt. Hinc Eliu ad Job, cap. XXXV. ait: *Non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me? Qui dedit carmina in nocte? In quem locum D. Gregorius, l. XXVI. moral. c. XII. Carmen, inquit, in nocte est lætitia in tribulatione; quia etsi pressuris temporalibus affligimur, spe jam de æternitate gaudemus.* Qui terrenis recreantur solatiis, cœlestia a se excludunt, adeoque Paraclito, qui cœlestia affert solatia, locum non præbent, idcirco ejus solatiis non perfruuntur, quia vacua tantum viduæ illius vasa oleo impleta fuerunt, non ea, quæ aliis rebus plena erant, IV. Reg. IV. Oleum, quia lenit et ungit, Spiritum s. consolatorem et spiritualem ejus unctionem aperte representat. Hic ergo in illos homines, qui terrenis consolationibus destituti sunt, oleum consolationis infundit; cæteris vero dicitur: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*, Luc. VI. *Ægyptii*, quia non a cœlo per pluvias, raras valde eo loco, sed a Nili inundatione suorum irrigationem agrorum, adeoque fecunditatem expectant, cœlum nunquam aspiciunt. Ita qui mundanis irrigantur deliciis, cœlestes non curant nec desiderant; at vero pauperes et afflictus, quia a terra nihil solatii sperant, ad cœlum oculos ergunt, adeoque velut vacua vasa et sitientes agri replentur a Spiritu sancto. Similes hi sunt terræ promissionis, de qua Deut. XI. dicitur: *Terra, ad quam ingredieris possidentiam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi factis semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: sed montosa est et campestris, de cœlo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus semper ungit, et oculi ejus in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus.* Quid aliud sunt pauperes Christi, nisi hujusmodi terra, quæ a solo cœlo suam expectat consolationis aquam? In hos respicit Spiritus s. hos rigat et fecundat, ut fructus proferant cœlo dignos. Hi cum Davide, spiritu paupere, dicunt: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*, Ps. CXLII. et Ps. CXVIII. cum suspirante ad cœlum: *Quando consolaberis me? Quia factus sum sicut uter in pruina*, h. e. aridus, exsuccus, sitibundus consolationis tuæ. Denique, cur non in Ægypto, sed in deserto primum Deus dulce manna dedit Hebræis? Nonne quia in Ægypto sedebant ad ollas carniæ et piscium, aliasque carnis illecebras? In deserto vero quia nihil talium aderat, ideoque ad cœlum suspirabant, manna acceperunt.

III. *Humilis*. Sed cur in humili corde requiescere vult Spiritus sanctus? Rationem reddit Eccles. III. § II. cum ait: *Humilia te coram omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.* Superbi non honorant Deum, sed abjiciunt

et negligunt, solos se honorari volunt, uti Pharaon, Nabuchodonosor, Antiochus, Neanor et similes. Absit ut in tales se dimittat Spiritus sanctus; humiles invisit, quia ab ipsis agnoscitur, et debito honore excipitur. Possumus hoc miscere ex concione S. Petri, quam in die pentecostes habuit, in qua asserit, ex prophetia Joelis, cap. II. effundendum fuisse Spiritum s. super filios hominum, et quidem super servos et ancillas. Verbum effundendi similitudinem aquæ tribuit Spiritu sancto, unde Arabicus textus legit: *Inundare faciam spiritum meum*. Quis autem nescit aquam in montes non ascendere, sed demissa tantum loca petere: et quo demissiora sunt, eo majori impetu in ea descendere? Pari modo Spiritus s. non nisi humilia petit. *Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo*, ait S. Petrus, q. d. ut sciatis super quos homines descendurus sit Spiritus sanctus: super humiles nimirum et abjectos, quales sunt servi et ancillæ. Talis imprimis et præ omnibus fuit beatissima Virgo, quæ quia humillimam se agnovit Domini ancillam, ideo Spiritus s. mox impleta est. Unde Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Ecce vero? *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Uti discurrit S. Bernardus, serm. I. super *Missus est*: «Super quem, inquit, requiescet Spiritus meus humilem et quietum? Super humilem dixit, non super virginem si, nisi ergo Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset, sicut ipsa perhibet: *Respexit humilitatem ancillæ suæ Deus.*» Habemus hujus doctrinæ et in Josue præclarum testimonium. Etenim arca fœderis, cum remissa a Philisthæis esset in terram Israel, stetit in agro Josue Bethsamitæ, 1. Reg. VI. Sed cur in agro Josue sedem sibi fixit? Neque enim id casu factum: siquidem vacuæ eam trahentes, sicut peculiari Dei providentia ibant, ita etiam stabant. Unde bene Theodoretus, qu. XIII. ait: *Plaustrum, quod a nullo homine regebatur, habebat arcam, et onus et aurigam*. Ratio igitur cur in agro Josue arca quieverit, affertur ab Abulensi, quia: *Reputatus est a Deo vir justior cæteris*. Unde vero justior? An quia cæteris humilior? Certe ex Domini sententia, Matth. III. dicentis: *Sic decet nos adimplere omnem justitiam*, (h. e. humilitatem, ut exponit glossa) cum baptismum peteret, humilitas est justitia, et qui justior, humilior. Quis autem humilior duce Josue, qui cum duodecim tribubus suas in terra sancta portiones distribuisset, sibi omnium vilissimam, incultissimam et sterilissimam delegit civitatem Thamnatharaam? Jos. c. XIX. An quia cæteris rector et simplicior corde erat? Tales certe Deus super alios etiam amat, teste Sapiente, Prov. III. qui ait:

Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus. Quis autem simplicior illo eodem Josue, qui Gabaonitis sibi imponentibus tam cito credidit, quia ex sua fide et simplicitate eos metuebatur? Illa enim de eo S. Ambrosius, III. offic. cap. X. *Josue cito credidit, adeo sancta erat illis temporibus fides, ut fallere aliquos posse non crederetur.* Tales igitur desiderat alumnos Spiritus sanctus, qui et humiles sint et simplices, seu recti corde. Quales certe erant primi illi centum et viginti Christiani conclusi in domo una, quasi in xenodochio, ut expectarent Spiritum sanctum. E contra vero: *Spiritus sancti disciplina effugiet factum,* ait Sapiens, Sap. 1.

IV. *Quietus,* h. e. pacificus, mansuetus et mitis. Idcirco enim Spiritus s. alio tempore super Christum baptizatum in columbæ specie descendisse, vult imprimis S. Chrysost. hom. XIII. in Matth. «Quia ipse Spiritus inquit, mansuetudinis est Spiritus, propterea in ejus specie apparuit.» Cui accedit B. Paschasius, lib. II. ad ea verba: «Et vidimus Spiritum descendentem, Matth. III. Apparuit, inquit, in columba, ut ostendat quales futuri essent, qui ad gratiam Spiritus sancti pervenirent. Ex quo quia columba fel non habet, patenter insinuat, quod in felle amaritudinis esse non debet, quisquis ad hanc gratiam venire devotus exoptat: siquidem columba tantæ benignitatis fertur a natura esse, ut omnium avium pullos quasi proprios dicatur suscipere, atque suis laboribus enutrire.» Cui accedit Chrysost. qui hom. III. ad pop. ait: «Non habitat Spiritus sanctus, ubi furor maledictus, iracundus.» Denique, columba avis amicabile et gregalis est: et tales esse desiderant, qui in communione habitant, ut omni felle amaritudinis, odii et invidiæ deposito concordet et pacifici inter se cohabitent. Quod imprimis observandum iis, qui in nosocomiis et xenodochiis degunt, ubi varii ex variis regionibus congregantur, ac nisi columbina mansuetudine præditi sint, ex domo pacis et concordiæ facient domum jurgii et discordiæ. Cæterum Spiritus s. quia omnis dissidii hostis est, tales in suo contubernio non tolerat, sed quemadmodum schismaticos eiecit de Ecclesia, ita etiam tales ejicere solet e communione. Hanc ob causam Spiritus sanctus utique, cum per manus impositionem daretur ab apostolis, et ad seditioso illo Simone mago expeteretur, instigavit S. Petrum, ut e fidelium cœtu eum repelleret, dicens: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, etc. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse,* Act. VIII. Quodnam hoc fel amaritudinis? Iræ et invidiæ, ut vult Vatablus (fel enim sedes et materia est iræ) eo quod

videret suos discipulos transire ad partes Christi et Petri, adeoque a suis despiceretur.

V. *Tremens,* h. e. sollicitus ad excipiendum et faciendum Dei verbum ac præceptum, seu ut Isaias: *Tremens sermones Dei.* Pium hunc tremorem, metum ac reverentiam erga Dei legem suscipiendam, ut immitteret Spiritus sanctus in fideles, venit cum tonitru et spiritu vehementi, necnon in forma ignis: quemadmodum et lex vetus in monte Sinai promulgata fuit cum turbine, ignibus, buccinis, adeoque maximo cum tremore. Placet enim Deo cor tremens ad sermones ejus. In tali enim pectore libenter divertit et hospitatur Spiritus sanctus; quod a simili ostendit S. Chrysost. hom. XXXIV. ad pop. «Nam si nos, inquit, cum servum nostrum mandata nostra strenuiter implere viderimus, et eum majori timore, majorem erga eum benevolentiam exhibemus: multo magis bonus Dominus propterea dicebat: Super illum respiciebam trementem sermones meos. Igitur tremisamus exhortor, et cum multo timore ipsius impleamus mandata, ipsius enim sermones sunt. Et cum didicerimus quæ placeant ei et quæ suscipiat, illa tractemus, et tales esse studeamus, ut quietem, mansuetudinem et humilitatem multam exhibeamus, et omnia ipsius cum reverentia obeamus præcepta, ut nostræ mentis affectum suscipiens, et nostræ delectatus obedientia, super nos quoque dignetur aspicere, etc.» Idem testatur S. Joannes epist. 1. cap. III. *Qui servat mandata ejus,* inquit, *in illo manet, et ipse in eo.* Impleverunt adamussim Christi mandata apostoli: ideo super ipsos requievit Spiritus sanctus. Jussi enim a Domino sedere in civitate, donec induerentur virtute ex alto, Luc. ultimo, ita ut jussi erant, sederunt in una civitatis domo, decem diebus, donec impleretur Christi promissio: digni igitur habitii, quibus tantum donum daretur. Nec mirum, quia obediens suam voluntatem conformat divinæ, et transcribit Deo; hinc vicissim Deus se transcribit homini, et manet in obediens, sicut obediens manet in Deo. Debet autem cum timore ac tremore excipi Dei verbum ac mandatum, quia timor est velut acus aut seta, quæ filum amoris divini, adeoque etiam Spiritum s. introducit in animam, ut ait S. Augustinus, tract. IX. in epist. 1. S. Joan. Hac ratione Saulus cum audisset vocem: *Ego sum Jesus, quem persequeris, tremens ac stupens dixit: Domine quid me vis facere?* Cui Dominus: *Ingrederere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oportet facere,* Et quid ei dictum? *Saule frater,* ait Ananias, *Dominus misit me Jesus, ut videas et implearis Spiritu sancto,* Act. IX. Ecce quia tremens excipit Dei verbum, impletur Spiritu sancto.

Postquam igitur vidimus, qualia potissimum

hospitæ dulcis ille hospes animæ, Spiritus s. seligat, superest ut nos, qui tanto gaudere hospite volumus, ita ei præparemus corda nostra, qualia desiderat: evacuemus ea a cupiditatibus et terreno spiritu, suspiremus ad cælum, et consideremus Spiritum sanctum, humiliemus nosmetipsos, pacem sectemur, et magna sollicitudine excipiamus Dei verbum.

CONCIO II.

CUR SPIRITUS SANCTUS IN SPECIE IGNIS APPARUERIT.

I. Ut indicaret Spiritus sancti proprietatem. — II. Ut ostenderet Deum mundo reconciliatum. — III. Ut indicaret apostolorum robur, eis confereadum. — IV. Ut indicaret Dei amorem erga nos. — V. Ut nuntiaret plenariam remissionem.

THEMA.

Apparuerunt illis dispersitæ linguæ tamquam ignis.

Act. II.

Levit. IX. legimus in primitiis Aaronis ignem cœlitus delapsum super ejus sacrificium, qui deinde magna cura foveri semper a sacerdotibus debebat ac fovebatur, adeo ut cum migrare cogerentur in Babylonem, de eo solliciti, e templo elatum in puteum absconderint, II. Macch. 1. Celebravit etiam Christus primitias quodammodo et encœnia sua in cœlo ante decem dies. Et quia victimas suas, gregem suum in terra collocatum habuit, eo demisit ignem cœlestem, Spiritus sancti symbolum, qui eas victimas devoraret, h. e. gratas sibi ostenderet. Victimæ illi sunt primi Christiani. Ignis vero ille semper usque hodie conservatus est in Ecclesia, et servatus deinceps usque ad diem judicii. Quando igitur tanti momenti est hic ignis, videndum quid sibi velit.

I. Indicat suo modo proprietatem Spiritus s. Primo enim, ignis typus est amoris, adeoque etiam Spiritus s. qui est amor Patris et Filii. Ignis ardorem excitat, et in sui naturam convertere obvia quæque conatur, ad eaque se extendit, si gratum ejus pabulum sint, v. g. ab una domo ardente ad alteram; atque ubi pabulum apprehendit, quasi præ gaudio crepitat, ad candelam fumigantem se inclinat et descendit ut eam accendat: ita amor hominem inflamat adeo, ut in se convertere amatam velit, et ad eum se extendat, ac præ gaudio jubilet. Unde amorem ardere vel frigere dicimus, pro ejus intensione vel remissione. Atque hinc est quod amatam rem osculo petamus, quasi eam devoraturi et in naturam nostram conversuri, velut ignis facit. Hoc etiam est, quod querit Spiritus

s. homines amoris sui igne inflammare, et in se quasi convertere.

Secundo, ex sole in speculum reflexo generatur ignis: ita ex amore Patris reflexo in Filium procedit Spiritus s. Hoc ex parte intellexit Mercurius Trismeg. cujus est decantata illa sententia: *Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem.* Unde nos hoc dicimus, quod sicut amor Patris in Filium, per Spiritum sanctum iterum se reflexit in Patrem: ita amor Dei in nos effusus, iterum se reflectere ac redire in Deum debet.

II. Indicat Deum orbi placatum et reconciliatum: quia ignis erat non devorans, nec crucians, multo minus absorbens, qualis erat Eliæ, devorans quinquagenos, et rursus alios quinquagenos missos ab Ochozia rege, IV. Reg. 1. sed placidus et suavis, qualis Abelis et Eliæ, absuens eorum acceptabile et gratum Deo sacrificium: vel potius qualis erat ignis in rubo splendens, sed rubum non comburens, Exod. III. qualis trium puerorum, qui in igne ludebant, et delicias agebant, ambulantes et cantantes. Deus sub veteri lege exhibuit se Hebræis velut ignem urentem, teste Moyse, Deut. IV. *Dominus Deus tuus ignis consumens est;* puniendo eos modis extraordinariis et supra vires naturæ, ut diluvio, pluvia sulphurea, hiatu terræ, serpentibus ignitis, igne cœlitus immisso, morte subita plurimorum, 1. Reg. VI. et II. Reg. ult. Punietiam sub lege nova fideles suos prævaricantes, sed plagis fere naturalibus et ordinariis dumtaxat, uti peste, fame, bello, grandine, pruina: hos quasi per pædagogos, illos quasi per carnifices. Erat ergo indicium elementariæ, benevolentiam, amicitiam, pacis, quomodo ignes festivi a nobis accensi publicam indicant lætitiæ et tripudii. Ratio, quia hodie cœlum et terra sibi invicem munera miserunt omni æstimatione majora. Terra misit Deo Patri Filium humana carne vestitum cum infinito meritorum cumulo. Pater vicissim misit terræ Spiritum s. Filio cœqualem, atque ita misit ut in nobis personaliter inhabitaret longe eminentiori modo, quam in universo mundo et ubique præsens est, velut amicus scilicet cum amico. Non adeo magnum est divertere imperatorem iter agentem in diversorium cauponis, ut in eo per unam noctem hospitetur et moretur; at divertere ad aliquem velut amicum, ut cum eo dulciter conversetur, hoc vero maximum est. In priori hospicio relinquet forte memoriam sui aliquam et insignia sua: at in posteriori cor et animum, gratiam atque amicitiam suam. Hoc secundo modo divertit Spiritus s. ad primam illam Christi Ecclesiam, et ad justificatos omnes, dans illis seipsum, velut hospitem perpetuum; adeo ut si, per impossibile, prius in homine per omni præsentiam suam

non fuisset, tunc inciperet esse personaliter. Ex quo discimus nos vicissim Deo ita tradere, ut non nostra dumtaxat, sed nos ipsos ei demus; quomodo Josephi industria subditi Pharaonis, non tantum argentum et pecora sua, sed seipsos denique Pharaoni vendiderunt, Gen. XXVII.

III. Indicat apostolorum robur accipiendum a Spiritu sancto ad profitendam et propagandam fidem. Ignis enim inter alias proprietates, mollia indurat, uti ova, si paulo diutius elixentur, vasa figuli, lateres, etc. Erant apostoli sub disciplina Christi bene quidem instructi et moribus efformati spatio triennii: sed nondum consolidati adeoque indurati ad ferendas persecutiones. Erant quasi ova mollia, quasi lateres a sole tosti, Spiritus sancti igne accedente solidi effecti sunt quasi in fornace cocti, adeo ut jam nil timerent, quia in gratia confirmati, et virtute ex alto induti. « Qui enim prius tremebant, inquit S. Chrysostomus, hom. XLVII. in Joan. ac formidabant, post Spiritus sancti acceptionem in media pericula prosilierunt, per ferrum, ignem, bestias, pelagus, et ad omnem calamitatem se intrepidi exposuerunt, et illitterati et idiotæ ita audenter disputabant, ut auditores in admirationem inducerent; ex luteis ferreos, et in cælum erigens, nulli humano affectui subjectos reddidit Spiritus. Talis illa gratia, quæ mœrorem solvit, malas cupiditates consumit, formidinem pellit, nec sinit amplius hominem esse quem afflat; sed tamquam in ipsum cælum translatus, omnia quæ illic sunt contemplatur. » Ergo in igne venit Spiritus sanctus tamquam primus episcopus, confirmationis sacramentum fidelibus administrans. Ejus enim munus est perficere spirituale ædificium atque illustrare quod extruxit Christus. Sine confirmatione sumus quasi templa jam extracta, sed nondum exornata, benedicta lustrali aqua, sed nondum manu episcopi perfecte consecrata ac dedicata. Sumus velut cultri chalybe non firmati, velut pumilionem perfectam staturam nondum assecuti, adeoque imperfecti homines, ut scribit S. Clemens, epist. ad Julium et Julian. audivisse a S. Petro magistro suo. Denique, Christiani erimus, sed luctatores nondum erimus, nisi confirmati, teste S. Augustino, in sent. Et quemadmodum ignis non solum mollia indurat, sed vicissim etiam dura, uti ferrum, emollit: ita Spiritus sancti gratia potest indurata corda flectere et emollire. In vita S. Francisci, cap. XI. nobilis mulier habens virum crudelem, venit ad S. Franciscum rogans, ut suis ad Deum precibus virum leniret; cui Franciscus ait: *Vade et dic illi ex parte Dei et mea, quod nunc tempus est clementiæ, postmodum justitiæ.* Quo nuntiato cecidit Spiritus sanctus super eum, et mox in virum

alterum mutatus, respondit uxori: *Domina serviamus Domino, et salvemus animas nostras.* Uxore ergo suadente, reliqua ætate cœlibem vitam duxerunt, et ambo eodem die ad Dominum migrarunt.

IV. Indicat amorem Dei erga nos. Prov. XXV. docuit Sapiens: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput ejus.* Hoc est, accendes eum amore tui, qui prius odio frigeat: induratum liquefacies et emollies. Dicunt aliqui medicum, (apud Salazar. in eum locum) insaniam quandoque accidere hominibus ex nimia frigiditate cerebri: corrigi vero per ardentem carbonem, in acerva capiti insani hominis impositos. Insani profecto erant Judæi, quando, ut S. Augustinus ait: Multa febre phrenetici insanierunt in medicum suum, dum ipse in cruce suspensus eos curaret. Jam hoc egit Deus, misit enim in capita nostra, qui prius inimici eramus, ignem cœlestem cum innumeris donis Spiritus sancti. Neque hoc solum super fideles, sed etiam effudit in baptismo sanguinem suum super inimicos suos, qui eundem paulo ante fuderant. Mira utique res. Quis enim non expectasset a Christo potius lapides et fulmina in tam immanes hostes? Verum dona potius et amorem effundere in eos voluit, ut ex inimicis faceret amicos. Hinc enim compuncti dicebant apostolis: *Quid faciemus viri fratres?* Illis, inquam, apostolis, quas prius cane pejus oderant ac persequebantur: nec dubium quin amare fleverint, quod Christum Messiam suum tam indigne acceperint, quam prout adorare et summo prosequi amore debuissent. Quid enim facilius quam ignem igne accendi? Ergo si divinus amoris ignis, ita quoque ad nos descendit, quomodo non accendamus amore ejus reciproco? Sane primi illi Christiani ita hoc igne correpti fuerunt, ut omnibus possessionibus suis abjectis, et in commune collatis semper in templo versarentur Deum laudantes, panem pauperibus largientes, quotidie communicantes, semper orantes, nihil nisi cælum cogitantes et operantes. Quare S. Hieronymus, ep. II. ad Damasum papam ita scribit: « Ille ignis mittitur, quem Hieremias ferre non poterat, qui cum animæ nostræ arcana penetrarit, ita nos dissolvit, ita a vetere homine in novum excoquit, ut in illam vocem possimus erumpere: Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus. »

V. Indicat plenariam remissionem, et quasi exustionem omnium peccatorum, meritis Christi comparatam, et a Spiritu sancto hodie promulgatam, necnon inchoatam. Maximum excitaret gaudium princeps ille, qui omnium subditorum debita dissolveret, eorumque syngraphas publice combureret, uti patet et quorundam exem-

plis. Justinus junior imperator, initio principatus sui omnium æs dissolvit alienum, conquisitis omnibus fœneratoribus, extinctis chirographis, et redditis pignoribus. Quo facto animos simul civium et militum sibi conciliavit. Ita Cuspinianus, in ejus gestis. Similiter et Romanus Lacapenus imperator omnium civium debita persolvit, et tabulas nominum combussit, auctore Cedreno. At vero quanto plus est, quod egit hodie Christus, dum chirographa peccatorum nostrorum per ignem Spiritus sancti comburenda ad regum damnavit? Si magnum est liberare a debitis pecuniarum, quanto plus est liberare omnes homines a debitis peccatorum et pœnarum infinitarum? Eorum dissolutionem promulgavit heri Christus per ora apostolorum, et dissolvit per baptismum; quis non afficiatur erga tam liberalem Dominum? Principes hujus sæculi licet quandoque offensas in se admissas delinquentibus remittant, non tamen eos facile recipiunt in amicitiam, nec conferent eis gratias, multo minus hæreditatem suam. At vero quibus Christus remittit offensas, iis confert etiam gratiam et jus gloriæ suæ. Simile quid, si terrena cœlestibus comparari possunt, exhibuit Joseph fratribus suis; non enim solum remisit eis injurias sibi illatas, sed præterea etiam impertit quam plurima beneficia, et ostendit benevolentiam argumenta, fruges donavit, convivium apparavit, oscula infixit, perpetuum alimentum in terra optima providit. Quibus omnibus mirum in modum devinxit sibi fratres, (Genes. XLV) ut erroris admissi seipsos redarguerent. Quanto plus nos obligamur Christo, fratri nostro primogenito, qui post tot injurias a nobis acceptas tanta in nos confert bona, non remissionis tantum, sed etiam gratiæ et amicitiam, communisque mensæ, denique et gloriæ in terra viventium selectissima? Quis tam durus erit, qui tot benevolentiam testimoniis ad penitentiam non emolliatur? Tot amoris stimulis ad redamandum non excitetur? Durat adhuc ista Dei nostri liberalitas et profusio, exhibeturque frequentissime in salutaribus sacramentis, præsertim penitentiam, quod instar ingentis rogi omnia nostra debita consumit, et in cinerem redigit. Id unum observandum, ut hoc beneficio utamur, dum rogas adhuc ardet. Fertur Alexander Magnus cum urbem obsideret aliquam consuevisse ante eam accendere prægrandem facem, moxque per præconem cives admonere, ut qui se ipsi tradere, ejusque frui gratia vellent, ad ipsum, dum fax arderet, egrederentur, salvi et incolomes futuri et asylum inventuri: secus vero si post extinctam facem dedere se vellent. Obsidere Christus die pentecostes cepit mundum hunc rebellem, facemque ignis de cœlo missi accendit, ut ei

gratiam denuntiaret suam, atque indulgentiam omnium delictorum; ea tamen lege, ut dum ardet fax, et offertur nobis gratia eam acceptemus. Alioquin se penitentiam diu nimis differamus, et in mortis articulo primum confugere ad eam volumus, quasi nulla alia de re solliciti. Ita nobis super omnia adlaborandum, ut charitatis ignem inextinctum sedulo custodiamus. Atque hoc est quod Josue jam morti vicinus commendavit populo Hebræo: *Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum,* Josue XXIII. Eecur enim quæso virginis fatuæ a nuptiis exclusæ sunt, nisi quia in suis lampadibus ignem charitatis minime accenderunt? Et cur morientibus datur cereus ardens in manus, nisi ut meminerint ignem gratiæ conservandum usque ad mortem? Nos igitur hunc cereum ita tueamur, ut nullo extingatur tentationis vento, etc.

CONCIO III.

JUBILÆUM QUID SIBI VELIT.

- I. Sensu litterali notat plenissimam remissionem. —
- II. Sensu allegorico signat tempus gratiæ. —
- III. Sensu tropologico denotat fraternam injuriarum remissionem, et animæ propriæ redemptionem. —
- IV. Sensu anagogico notat diem resurrectionis.

THEMA.

Lux venit in mundum. Joan. III.

Quinquagenarius numerus, a quo pentecoste suam sortitur appellationem, numerus sacratus est, symbolum et index perfectæ penitentiam et remissionis, uti docet S. Hieronymus sub initium lib. II. in Isaiam. Hinc Psalmus L. maxime penitentialis est: hinc anno quinquagesimo jubilæum institutum fuit, in quo concedebatur plenissima remissio, Levit. XXV. Porro nostrum novæ legis jubilæum a festo pentecostes cepit promulgari post adventum Spiritus sancti, luce sua apostolos copiosissime replentis, cui non absimilem jure merito æstimamus gratiam et indulgentiam, quæ conceditur fidelibus per jubilæum apostolicum, afferens secum ignem comburentem, et delentem omnia nostra debita, et fontem corda nostra calore gratiæ cœlestis: adeoque altera et repetita quædam pentecoste est. Quo ut liberalius fruamur, explicare aggre-